Fratris Casimiri: Triquertium philosophicum, stagyriticis cursu biennali emensum seu Conclusiones ex tota universae Aristotelis Philosophiae speculativae scientia.

✠

In Nomine Domini, Amen.

TRIQVERTIUM PHILOSOPHICVM,

Stagyritico Cursu Biennali EMENSUM:

SEV

CONCLUSIONES

EX TRINA UNIVERSÆ ARISTOTELIS PHILOSOPHIÆ SPECULATIVÆ SCIENTIA,

Ad mentem Divi THOMÆ, Doctoris Angelici

CONCINNATÆ.

Quas in sui Præsidentia proposuit,

M. IOSEPHVS WISNIOWSKI,

Philosophiæ Doctor, Collega Maior, Astrologiæ & Geometriæ Ordinarius, ac interea, Cursûs Vladislaviani Professor, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Scholasticus.

Propugnandas verò in Sapientissima eruditorum Corona

SUSCEPIT

M. CASIMIRUS TUATER Crac:

Philosophiæ Doctor, Scholæ ad Ecclesiam Cathedralem Cracoviensem Senior, vti eiusdem Cursûs Auditor.

Anno Domini, 1693. Die 4. Martij.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.



REGNI SARMATIÆ & ACADEMIÆ PATRONO,
Doctrinæ Salutaris perfectissimo MAGISTRO,
Stagyritæ Catholico, cujus Philosophia, quietis est disciplina,
Mundanæ Sapientiæ Contemptori, solius Cælestis Sectatori,
Optimo Præceptori, qui in sua Doctrina se totum descripsit.
Theologiæ JOANNIS fidelissimo Dictatori, (nam & ipse JOANNES,) qui non satis arbitratus Charitatem ad proximum docere argumentis, sed potius profiteri factis,
Academiæ solidissimo Fundamento, Magistralis perfectionis vivæ Regulæ,
Veræ Humilitatis Viatori, Supernæ Celsitudinis Comprehensori,
ac Cælestium Gratiarum Delicio,

DIVO JOANNI CANTIO,

in Vniversitate Crac: S. Th: Doctori & Professori,
uti Patriarchæ suo, in vim Votivi Homagij,

✠

CONCLVSIONES
EX UNIVERSA PHILOSOPHIA SPECVLATIVA.
Ex Disputatione Proœmiali.

PHilosophia rationabiliter & vtiliter inuenta est, magno humani generis bono. Hæc in communi sumpta, rectè dicitur esse Cognitio rerum vt sunt, cùm pro Fine habeat Cognitionem Veritatis. Ratione Obiecti adæquatè diuiditur in Rationalem, Naturalem, & Moralem. Ratione Finis in Speculatiuam & Practicam, vtrobique tamen Analogicè. Speculatiua est nobilior, & secundum se prior & certior, quam Practica. Inter Philosophiæ Speculativæ Partes, Ordo Doctrinæ tametsi requirat à Mathematica esse exordiendum, receptissimus tamen, maximè Acquisitionis Ordo vsurenet, à Logica ad Physicam, & ab hac ad Metaphysicam in docendo & discendo esse procedendum.

CONCLVSIONES LOGICÆ.

I.

PRæter LogicãNaturalẽ, datur Logica Artificialis, in quam Homo naturaliter & ab intrinseco inclinatur ratione Speculationis & cognitionis Veritatis, licet magis in reliquas Scientias Reales Speculatiuas. Hæc quoad omnes suas Partes, Demonstratiuam .s. Topicam & Sophisticam, rectè diuiditur in Docentem & Vtentem, tanquam in duos Habitus Distinctione Virtuali Formali distinctas. Docens, est verè & propriè Scientia vna specie, habetque Vnitatem Specificam ab vno Obiecto in Esse Scibilis. Vtens, Entitativè tantùm est Scientia; non autem propriè & Formaliter, nisi forte Reductiuè & in Obliquo, Vtraque tamen est Simpliciter Scientia Speculatiua, licet Vtens secundùm quid & Analogicè possit dici Practica, imò & Ars. Est autem simpliciter necessaria ad acquirendas alias Scientias, tam in statu perfecto, quàm in imperfecto, non tamen æquè ad omnes.

II.

FOrmale & Adæquatum Logicæ Obiectum, seu Ratio Formalis Quæ, est Ens Rationis, Actuum seu Operationum Intellectûs directivum. Ratio verò Formalis Sub qua, est Abstractio ab omni Materia Negatiuè, nec non Principia Rationis ex quibus procedit in demonstrando. Vnde Ens Rationis contractum, vel ad Argumentationem, vel ad Modum sciendi strictè sumptum, & disserendi, vel ad Syllogismum aut Demonstrationem, non potest esse Formale & Adæquatum Logicæ Obiectum: tametsi Voces, Res, siue Naturæ Rerum, imò & Operationes Intellectûs, in quantum sunt Principia & Causæ Efficientes Secundarum Intentionum, possint esse Obiectum Materiale illius.

III.

ENs Rationis Logicum datur, cuius totum Esse Obiectiuè se habet in Intellectu, fitque à solo eoque Humano, per Actum illius Comparativum, & tantum pro hoc statu. Vnde neque Voluntas, neque Sensus Interni aut Externi, possunt efficere Formaliter Ens Rationis. Præterea neque Angelicus, multò minus Divinus Intellectus format Entia Rationis, licet ea ab Humano Intellectu formata cognoscat. Porro à nobis cognoscitur per Speciem

ciem Expressam propriam, per Impressam autem alienam .s. Entis Realis. Et tandem adæquatè diuiditur in Negationes, Priuationes & Relationes Rationis.

IV.

VNiversalia Materialia, aliàs Fundamentalia (quæ sunt Naturæ vniversales, Vnivocè communes multis) dantur à parte Rei, non quidem separata à Singularibus, vt voluit Plato, sed illis inexistentia, a quibus nec per Absolutam quidem Dei Potentiam Realiter separari possunt. Hinc vniversale rectè dicitur Esse Vnum commune, aptum inesse multis, prædicarique de illis. Natura Vniversalis Creata, etsi præter Materialem seu Numericam, habeat à parte Rei Vnitatem Formalem, (Virtualiter ab illa distinctam) communem pluribus, non tamen Positivam sed Negatiuam, quatenus ei non repugnat, vt à singularibus per Intellectum abstrahatur & fiat Comunis secundū Esse suum Obiectivū. Vniuersale Formaliter sumptum, cùm non detur à parte Rei, proinde fit per Operationem Intellectûs Possibilis Comparativam Simplicem, quanquàm ad id Præcisiva quoque concurrat. Et taliter sumptum Vniuersale, adæquatè & vniuocè dividitur in Quinque Prædicabilia, nempe in Genus, Speciem, Differentiam, Proprium & Accidens, estque Genus ad illa.

V.

GEnus etsi non Essentialiter, rectè tamen à Porphyrio definitur. Esse id quod prædicatur de pluribus Specie differentibus in eo quod Quid est. Eius Definitum explicatum Particulâ Quod, est Secunda Intentio Generis in Concreto, ipsa videlicet Genereitas, conn otans simul Naturam Genericam denominatam, quod idem in alijs Prædicabilibus proportionaliter intelligendum. Idem Metaphysicè sumptum, non prædicatur de Speciebus vt Pars, sed vt Totum Potentiale. quod etiam de Differentia proportionaliter censendum: & ideo qua tale, non potest saluari in vnica specie. In Substantijs Materialibus, Genus à Materia, & Differentia sumitur à Forma, tanquam à Prima Radice. In Immaterialibus verò vg. in Angelis, Genus & Differentia sumitur a tota earum Essentia diuersimodè considerata. In Accidentibus tandem Genus & Differentia sumitur Proximè a tota illorum Essentia. Radicaliter autem Genus sumitur ex proprio Modo constitutivo Prædicamenti, Differentia verò ex diuersitate suorum Subiectorum.

VI.

SPecies per Prædicari de pluribus solo Numero differentibus in Quid, definita, in ratione secundi Prædicabilis Logici constituitur Formaliter per Prædicabilitatem de Individuis, & non per Subiicibilitatem, iuxta hanc enim spectata, Metaphysicè saltem est Vniversalis: vnde sic accepta totaliter saluatur in vnico Indiuiduo. Obindeq; Natura Specifica Angeli, tametsi repugnet ei habere plura Indiuidua, eò, quòd in se sit singularis, immaterialis & constituta in Esse Specifico & Indiuiduali, Michaelis v.g. aut Gabrielis; ex modo tamen nostro concipiendi potest concipi vt Vniuersalis. Indiuiduum quoque (vt pote Speciei Correlatiuum) illudque Determinatum & Secundo Intentionaliter sumptum, prout dicit Relationem Prædicabilitatis, rectè dicitur Esse id, quod de vno solo, hoc est de seipso prædicatur.

VII.

DIfferentia latè sumpta, rectè quidem, sed Analogicè diuiditur in Communem, Propriam & Proprijssimam. quarum duæ priores cùm non faciant differre Essentialiter, sola proinde Differentia Proprijssima idipsum præstans, constituit hoc tertium Prædicabile. Rectè etiam definitur per Prædicari de pluribus & Specie differentibus in Quale Quid, puta Essentiale. Et hæc Definitio competit tam Differentiæ Subalternæ, quàm etiam Athomæ seu Infimæ, etsi magis propriè illi, quàm huic. Ex his autem sicut Athoma seu Specifica constituitur in Esse tertij Prædicabilis per ordinem ad Indiuidua huius

Speciei,

Speciei, ita Subalterna seu Generica per ordinem ad Generis Subalterni Species. Porro Omnis Differentia est perfectior suo Genere, quæ duo Virtualiter tantum inter se distingvuntur.

VIII.

EX quaternaria Proprij acceptione Analoga quidem sed tamen Adæquata, solùm Proprium quarto modo sumptum constituit quartum in ordine Prædicabile, vt pote quod refertur per ordinem ad omnia Jndiuidua illius Speciei, à cuius Essentia dimanat: soli autem inest & de inferioribus eius prædicatur in Quale Necessariò Accidentaliter & Conuertibiliter.

IX.

ACcidentis Logici vulgata Definitio, Secundo Intentionaliter intelligi debet. Quod quidem vt est quintum Prædicabile, constituitur in Esse Vniuersalis per ordinem ad Subiecta, quæ Accidentaliter denominat, non verò per ordinem ad sua Inferiora, de quibus Essentialiter prædicatur.

X.

ÆQuivoca, Vnivoca & Denominatıva rectè traduntur ab Aristotele, quorum prioribus duobus mediant Analoga, in Attributionis & Proportionalıtatis diuisa. Conuenienter quoque ab eodem assignantur Divisiones & Regulæ Antepraedicamentales.

XI.

PRædicamentum in communi rectè dicitur esse Quidditatiua Prædicabilium coordinatio Secundum Sub & Supra. Diuiditur in Decem Prædicamenta, seu Summa Genera, quæ sunt Primò Diuersa, ita vt se totis differant & in nullo conueniant Vnivoco. Reponuntur autem in illis Directè sola Entia Realia Creata, Finita, Per se, Completa, Incom plexa, Vnivoca & Essentialia.

XII.

SUbstantiæ (vt pote prioris Accidentibus Definitione, Cognitione, Tempore & Natura) Ratio Formalis est, Esse Per se Nominaliter. Et hæc Substantia quatenus abstrahit à Modis Essendi Vniuersaliter & Particulariter, rectè diuiditur in Primam & Secundam, ita vt Prima in ratione Substandi sit magis & perfectior Substantia quàm Secunda. In hoc Prædicamento Directè reponuntur omnes & solæ Substantiæ Creatæ, Completæ & Finitæ, imò & Christus Dominus secundùm Naturam Humanam consideratus, licet non secundùm Suppositum, quod est Diuinum. Huc quoque spectant & Angeli.

XIII.

QUantitatis Ratio Formalis constitutiua est Extensio Partium in ordine ad se. Et hæc rectè ac vnivocè diuiditur in Continuam & Discretam. Continua quidem Intrinsecè mensurans Substantiam, tres continet Species, Lineam videlicet, Superficiem & Corpus. Extrinsecè reliquas, Locum, .s. & Tempus. Discreta verò Numerum & Orationem, licet hæc minuspropria sit Species Quantitatis. Porro Substantia Corporea cum Quantitate ita sunt inter se connexæ, vt cùm ad inuicem Realiter distinguantur, illa præcisâ Quantitate Actuali, nullas habet Partes Integrales, etiam Entitatiuas.

XIV.

QUalitatis Prædicamentalis Ratio Formalis est Dispositio seu Modificatio Substantiæ specialiter & sine addito sumpta. Hæc rectè & vniuocè diuiditur in quatuor Species non quidem Athomas sed Subalternas, .s. Habitum & Dispositionem. Naturalem Potentiam & Impotentiam;. Passionem & Patibilem Qualitatem, & Formam ac Figuram.

XV.

RElationes Prædicamentales (quæ omnes sunt Reales & æquales in Modo Essendi Relatiuo) dantur à parte Rei, quæ præter communem alijs Accdentibus Conceptum In, habent proprium Ad, sane Aptitudinalem. Vltra Remota Relationis Fundamenta quatuor, videlicet Substantiam, Quantitatem, Qualitatem, & tandem Potentiam Actiuam & Passivam, dan-

tur Proxima, quæ sunt Vnitas & Numerus, Actio & Passio, Mensura, & Mensurabile. Omnis Relatio Prædicamentalis distingvitur Realiter à suo Fundamento, nedum Remoto, sed etiam Proximo. Transcendentalis verò non item. Et sicut Mutua terminatur ad Terminum Formaliter Relativum, ita Non mutua ad Absolutum. Porrò cùm Relatio suam Vnitatem, & Distinctionem Specificam desumat tam à Fundamento quam, à Termino Totali Formaliter sumptis, Numericam verò ab Vnitate Subiecti cui inhæret. Hinc est quòd Multiplicatis eiusdem Speciei Terminis, non multiplicentur in eodem Subiecto Relationes Numero distinctæ; licet Multiplicatis Specie distinctis Terminis, multiplicentur quoque Specie distinctæ Relationes, maximè si diuersus sit earum fundandi Modus.

XVI.

VLtima sex Prædicamenta sunt Entitates Reales inter se distinctæ, quæ resultant in Rebus cum dependentia ab aliquo Extrinseco, non tamen per hoc sunt puræ Denominationes Extrinsecæ, proinde sunt Absoluta, & constituunt distincta Summa Genera.

XVII.

POstprædicamenta rectè & sufficienter ab Aristotele assignantur Quinque, nimirum Oppositio, Prius, Simul, Motus & Habere.

XVIII.

ORatio rectè dicitur esse Vox significatiua ad placitum, cuius pars aliqua separata significat aliquid. Vnde Voces non solum sunt signa Rerum, sed etiam Coceptuum, & quidem immediatiùs. Oratio tanquam Totum Jntegrale diuiditur in duas partes, Nomen .s. & Verbum. Propositio verò, quæ est simplex Qualitas, describitur, quòd sit Oratio verum vel falsum significans. Præter alias sui Diuisiones, Vniuocè diuiditur in Affirmantem & Negantem, Proprietates eius sunt tres, Oppositio, Æquipollentia & Conuersio. Propositiones pro diuersitate materiæ diuersimodè quoq; se habent ad veritatē. Exindeque In Propositionibus Contradictorijs singularib⁹ de Futuro Contingenti, neutra Contradictoria est determinatè vera aut falsa, ante Decretum Dei. cùm hoc tamen optimè cohæret Libertas Causarum Secundarum, & Contingentia futurorum Effectuum.

XIX.

DEfinitio rectè dicitur esse Oratio explicans Naturam Rei. Diuisio autem Oratio explicans Rem per partes. Discursus est Oratio, in qua vnum ex altero inferri denotatur; Vnde sicut pro Formali dicit Motum Intellectûs de vna cognitione in aliam, ita ad sui Rationem requirit pluralitatem Cognitionum, non reperiturq; in Intellectu Diuino & Angelico. Discursus Artificialis in communi ratione Formæ rectè & vniuocè diuiditur in Consequentiam strictè sumptam & Argumentationem, hæc verò in Conditionalem, Causalē & Rationalē. Porro Argumentatio Rationalis strictè sumpta, duas tantum habet species, Syllogismum .s. & Inductionem.

XX.

SYllogismus communissimè quidem, ast rectè definitur, quòd sit Oratio in qua quibusdam positis, aliud quidpiam diuersum ab his quæ posita sunt, necessariò accidit, eò quòd hæc posita sunt. Et hic quidem ratione Formæ Vniuocè diuiditur in tres tantùm Figuras, quarum singulæ habent suos Modos.

XXI.

OMnis Cognitio Intellectiua Discursiua fit ex præexistenti Cognitione, conuenienterq; ad illam requiruntur duæ Præcognitiones, & tria Præcognita. Præter Finem Demonstrationis, nempe ipsum Scire, Essentialiter per Causam Materialem exprimitur Demonstratio, quòd sit Syllogismus procedens ex Principijs seu Præmissis veris, primis & immediatis, notioribus, prioribus Causisq; Conclusionis. Hinc Præmissæ Demonstrationis efficienter influunt

fluunt in Conclusionem, & necessitant Intellectum directè ad assentiendum illi, non solùm Necessitate quoad Specificationem, sed etiam quoad Exercitium. Porro Demonstratio adæquatè diuiditur in Demonstrationem Propter Quid, & Quia, tanquam in Species Contradictoriè oppositas, quarum sola Propter Quid generat Habitum Scientiæ perfectæ.

XXII.

SCientia est vna & simplex Qualitas, & non composita ex pluribus. Actualis, est cognitio Rei per Causam, propter quam Res est, & quòd illius sit Causa, nec possit aliter se habere. Et ex hac relinquitur in Intellectu Scientia Habitualis, quæ est Habitus certus & euidens, per Demonstrationem acquisitus. Scientia suam vnitatem & distinctionem Genericam desumit à Ratione Formali Sub qua, alias Abstractione. Specificam ex vnitate & distinctione Specifica Principiorum Formalium intra eandem Abstractionem contentorum. Et tandem Numericam (vt pote Accidens) à Subiecto.

XXIII.

SCientia comparatè, nimirum ratione dependentiæ considerata, rectè diuiditur in Subalternantem & Subalternatam. Vnde si Obiectum Subalternatæ Accidentaliter continetur sub Obiecto Subalternantis, propriè illa Subalternata dicitur. Quod si Essentialiter, impropriè. non tamen propterea amittit rationem veræ & propriæ Scientiæ. Scientia & Opinio tum quoq; Fides, siue sumantur pro Actibus siue pro Habitibus, non possunt simul esse in eodem Intellectu de eodem Obiecto, benè tamen Habitus Scientiæ cum Actu Opinionis, sed non è contra. Porro Habitus vtriusq; nonnisi per Absolutam Dei Potentiam, in eodem Intellectu, circa idem Obiectum, simul consistere possunt.

XXIV.

DE Syllogismo Topico, qui ex Propositionibus probabilibus, probabilem quoq; infert Conclusionem, & de Sophistico, qui ex apparenter veris. deducit omnino falsum, Aristoteles rectam & sufficientem reliquit doctrinam, illius quidem per Locos & Problemata seu Prædicata, huius verò per Fallacias in Dictione & extra Dictionem traditas.

CONCLVSIONES PHYSICÆ, Ex Disputatione Procemiali.

PHysica est verè & propriè Scientia, illaq; Speculatiua & Vna Specie Athoma, cuius Formale & adæquatum Obiectum est Ens Mobile Radicaliter sumptum. Et cùm Vniuersaliora sint nobis notiora quàm minus Vniuersalia, ideo iure merito hic Doctrinæ Ordo in tradendis Physicæ Partibus seruatur.

EX LIBRIS OCTO PHYSICORVM.

I.

PRincipia Rerum Naturalium, (quæ neq; ex alijs, neq; ex alterutris, sed ex ipsis omnia fiunt) In Fieri sunt tria. Materia Forma & Priuatio. quorum Forma & Priuatio sunt Contraria & quidem Prima. In Facto Esse sunt duo, Materia & Forma. obindeq; Ratio Principij Analogicè tantùm & non Vniuocè illis competit.

II.

MAteria prima, (quæ est Verum Ens Reale, Substantiale, Incompletum, à Deo in primo Mundi exordio Rebus concreatum) rectè definitur ab Aristotele, quòd sit Primum Subiectum vniuscuiusq; Rei, ex quo aliquid fit, cùm insit Per se, & non secundum Accidens, & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimum. Est ita pura Potentia Physica, vt nullum includat Actum siue Metaphysicum, siue Entitatiuum. obindeq; nullam habet Existentiam propriam, adeo, vt ne quidem per Absolutam Dei potentiam possit exi-

stere

ſtere ſine omni Forma. Præterea eſt Per ſe ingenerabilis & incorruptibilis, non quidem Subiectiuè ſed Terminatiuè, habetq; Appetitum Innatum ad Formas Subſtantiales, tum quoq; Vnitatem Specificam & Numericam, aſt non Poſitiuam, ſed Negatiuam.

III.

PRiuatio quatenus dicit Aptitudinem (quam ſignificat in Obliquo) ad Formam cauſandam, eſt Principium Rerum Naturalium in Fieri, à Materia & Forma Realiter, ſed ab illa Negatiuè diſtinctum. Eſtq; carentia ſeu priuatio Formæ Specificæ quatenus indiuiduatæ. Actualiter principiat Generationem Subſtantialem recedendo, Formâ interim accedente.

IV.

FOrma Subſtantialis rectè dicitur eſſe Actus primus ſeu Subſtantialis dans Eſſe Corporeum rei per ſe conſtitutæ. Hinc omnes Formæ Materiales generabiles educuntur de potentia Materiæ, non tamen ingenerabiles & creatæ, vt ſunt Cæleſtes & Elementares, multóq; magis Anima Rationalis. Porro omnes Formæ Accidentales Naturales, quæ non habent neceſſariam connexionem cum Subiecto, educuntur de potentia Subiecti, ſimiliter & Supernaturales, licet eas contingat ſimul fieri cum Subiecto. Connaturales tamen quæ dimanant ab Eſſentia Subiecti, non tam educuntur, quàm potiùs ad rationem ſui Subiecti coëducuntur vel concreantur. Deniq; plures Formæ Subſtantiales tàm Subordinatæ quàm Diſparatæ, etiam per Abſolutam Dei Potentiam, non poſſunt informare Vnam portionem Materiæ, ſicut nec è conuerſo.

V.

TOtum Compoſitum Phyſicum Eſſentialiter conſtat ex Materia & Forma, tanquam ex partibus eiuſmodi, quæ ſimul concurrunt ad Eſſentiam illius, nec datur Modus aliquis Vnionis Subſtantialis Realiter diſtinctus ab illis, ſed vniuntur inter ſe per ſuas proprias Entitates. Idem Totum non diſtinguitur Realiter à ſuis Partibus ſimul ſumptis & vnitis, niſi Ratione Ratiocinata.

VI.

NAtura rectè & Eſſentialiter definitur, quòd ſit Principium & Cauſa Motûs & Quietis eius in quo eſt, primò & Per ſe, & non ſecundùm Accidens. Et licet Forma ſit magis Natura quàm Materia, id eſt principalior, Vniuocè tamen de vtraq; dicitur Ratio Naturæ. Diſtinguitur Eſſentialiter ab Arte, Arſq; nullo modo Virtute propria & immediatè poteſt efficere opera ſeu Effectus Naturæ.

VII.

CAuſa in communi rectè dicitur id, ad cuius Eſſe reale ſequitur aliud. Diuiditur in quatuor Cauſarum Genera, Videlicet Materialem, Formalem, Efficientem & Finalem. quarum duæ priores Intrinſecæ, duæ verò poſteriores, Extrinſecæ paſſim nominantur. Porro licet Omnis Cauſa ſit prior ſuo Effectu, Prioritate Naturæ ſeu Dependentiæ, non tamen Simpliciter eſt perfectior & nobilior eodem, Realiter nihilominus diſtinguitur ab eo. Tandem Vnus idemq; Effectus, à pluribus Cauſis Totalibus, Adæquatis & Principalibus, eiuſdem Generis & Ordinis, nedum Viribus Naturæ, ſed nec per Abſolutam quidem Dei Potentiam produci poteſt.

VIII.

MAteriæ Cauſalitas totalis & adæquata eſt Concurſus ſeu Influxus Paſſiuus in Formam & Compoſitum, vt eſt In Materia & Ex illa. Formæ verò Cauſalitas eſt Concurſus Actiuus, ſeu Informatiuus Materiæ & Compoſiti, vt eſt à Forma. Cauſa porrò Exemplaris, propriè & ſimpliciter loquendo, habet rationem Cauſæ Formalis Extrinſecæ.

IX.

EFficiens Cauſa eſt, à qua primò incipit Motus, habetq; pro Cauſalitate ipſum Agere ſeu Actionem exercitam. Vnde in productione Subſtantiæ, Principium operandi Quo mediatum, eſt Forma Subſtantialis, immediatum verò ſunt Formæ Accidentales. Cauſa prima Actu & immediatè concurrit ad omnes Actus omnium Cauſarum ſecundarum, idq; non tantùm Concurſu

Simul-

Simultaneo, sed etiam Præuio, in Causis tamen Liberis determinatione Voluntatis non per modum Naturæ, sed per modum Liberi. Ad Efficientem quoq; Causam reuocantur Casus & Fortuna, tanquam Causæ Per accidens ad Causam Per se, tum quoq; Fatum. Proinde Radix proxima Contingentiæ in Rebus Naturalibus, præter efficacissimam Dei voluntatem, est Defectibilitas Causæ Proximæ, & Impedibilitas per concursum alterius Causæ. Necessitatis verò è contra, Indefectibilitas eiusdem Causæ.

X.

FInis est vera Causa Realis, obindeq; constituitur Formaliter in Esse Terminatiui mouendo voluntatem secundùm Esse Reale, non verò secundùm Esse Intentionale seu Apprehensum, sic enim Motiui tantùm habet Rationem. Vnde Causalitas Finis, dicta communiter Motio Metaphorica, consistit in Actione Voluntatis, seu in ipso Appeti & Desiderari.

XI.

MOtus rectè dicitur esse Actus Entis in potentia prout est in potentia, continetq; in se etiam Mutationes Instantaneas, sed eas tantùm quæ sunt Actûs imperfecti. Et licet Entitas Motûs Materialiter & Entitatiuè eadem sit cum Actione & Passione, Formaliter tamen & Modaliter est distincta ab illis, & à Termino Ad Quem, prout & ipsa Actio & Passio distinguuntur ab inuicem. Subiectatur autem Motus in Mobili, eiusq; Actio Transiens licet sit Originatiuè ab Agente, Subiectiuè tamen est in Passo. Porro sicut Vnitas Specifica & Distinctio Motûs desumitur ex Termino Ad Quem simul cum Vnitate Medij Formalis; ita Numerica ex Vnitate Mobilis, Termini Ad quem & Temporis non interrupti. Ac tandem Generica ex vnitate Prædicamenti ad quod terminatur.

XII.

INfinitum Creatum Cathegorematicum seu in Actu, per nullam potentiam dari potest, licet detur Syncathegorematicum seu in Potentia.

XIII.

LOci Ratio Formalis est Immobilitas vltimæ superficiei Corporis continentis. Et hæc Immobilitas desumitur ex Distantia Formaliter sumpta in ordine ad Polos & centrum Mundi. Hinc omnibus & solis Corporibus conuenit Esse Per se in Loco Circumscriptiuè, excepto vltimo Cælo vt pote Continente, quod est secundùm Partes & in Potentia. Porro licet Duo Corpora possint esse supernaturaliter per penetrationem in vno eodemq; Loco: Vnum tamen Corpus in pluribus Locis Circumscriptiuè, etiam per Absolutam Dei Potentiam nequit esse. Vacuum per nullam virtutem Creatam dari potest in Rerum Natura, bene tamen per Increatam, quo dato posset moueri Corpus per illud Motu Successiuo.

XIV.

TEmpus quoad Actum primum (qui est Mensura Radicalis) est Simpliciter & verum Ens Reale. Eius Existentia solùm inuenitur in Instanti, non verò in aliqua Parte Præsenti. A Motu distinguitur, vt Realitas à Realitate.

XV.

COntinuum non ex solis componitur Indiuisibilibus, sed etiam ex Partibus Formalibus quæ per vera & Positiua Indiuisibilia sunt vnitæ. Vnde in Substantia ante Quantitatem cùm non dentur Partes Integrales etiam Entitatiuæ, certè nec Indiuisibilia dari possunt. Res Permanentes ex sua Natura incipiunt per Instans Intrinsecum, & desinunt per Extrinsecum. Successiuæ autem incipiunt & desinunt per Instans Extrinsecum. Porro licet V[illegible]entia habeant Terminum Magnitudinis suæ, .s. Maximum quod sic, quem, Naturaliter loquendo, excedere non possunt; non tamen habent illum Non Viuentia, vnde in infinitum augeri possunt in Potentia. E contra verò tàm Viuentia, quàm Non viuentia habent certos Paruitatis suæ Terminos, .s. Minimum quod sic.

XVI.

CHristianæ prorsus Philosophiæ Axioma est: Omne quod mouetur, necessario ab alio à se distincto moueri. Per hoc enim sicut Processus in infini-

tum in Causis tollitur deueniendo ad Primum Motorem; ita Necessitas Influxûs Præuij Causæ Primæ optimè infertur. Omne tamen Mouens seu Agens, ad hoc vt producat Effectum suum, debet esse approximatum Passo, vel vtrâq; Immediatione, Suppositi .f. & Virtutis, vel saltem Immediatione Virtutis, vtrobiq; tamen per virtutem à se diffusam non priùs agendo in Distans, quàm in Propinquum.

XVII.

MVndum potuisse esse ab æterno tàm quoad Res Permanentes, quàm quoad Successiuas, Per se loquendo non implicat, licet Per accidens aliquibus repugnare possit. De Facto vnus est Mundus, illeq; in suo Genere perfectus, quanquam de Possibili non repugnet produci plures multo perfectiores. Hinc ex Motu in eo contento optimè colligi potest, quòd omninò detur Primus Motor immobilis, vnus, æternus, simplex, infinitè perfectus, & virtutis infinitæ ad agendum, perfectissimè intelligens ac volens, pro Obiecto Intellectionis ac Volitionis suæ primario habet seipsum, pro secundario verò omnia à se creata, quæ non solum Efficienter, sed etiam Finaliter mouet.

EX LIBRIS DE CÆLO ET MVNDO.

I.

CÆlum neq; est Elementum, neq; Elementatum, compositum tamen ex Materia & Forma, Animatum Causaliter per Formam Assistentem & ab intrinseco incorruptibile. Materia Cælorum est diuersa specie a Materia Sublunarium, tali diuersitate ortâ non ex Entitatibus suis præcisè, sed ex diuerso respectu ad Formas. Cæli quoad Orbes, quò superiores, eò sunt nobiliores, licet non quoad Astra; suntq; Solidi, Contigui, Denarium non excedentes Numerum, id quod Parallaxes, Velocitas & Tarditas Motûs, & tandem Eclypses Planetarum ac Stellarum, solidâ Astronomorum curâ inuentæ euincunt: Reuolutionumq; suarum certò definitas habent Periodos. Sphæræ septem Planetarum excepto Firmamento, componuntur ex Orbibus partialibus, Eccentricis nimirum & Epicyclis. Omnium insuper Cælorum Motus ita est Sympathicus cum Motu Sublunarium, vt illo cessante, hunc quoq; quoad Actiones Materiales (licet non Spirituales & Intentionales) cessare sit necesse.

II.

CÆlum tametsi directè & Per se agat in Corpora, in Intellectum tamen & Voluntatem indirectè tantum & Per accidens, magis adhuc indirectè in Voluntatem quàm in Intellectum. Hinc purè Astrologicæ prædictiones, etsi de alijs Accidentibus vitæ, tum vel maximè de Actibus humanis, à Voluntate tanquam Causa sua Proxima procedentibus, in tantum verificantur, in quantum Homo inclinationem Sensualitatis Naturæ sequitur. iuxta illud Diui Alberti Magni in suis Mineralibus: Homo duobus regitur principijs, Natura .f. & Voluntate; Natura subiecta est Syderibus, Voluntas autem libera.

III.

DE Astronomicis verò prædictionibus, supposito diligenti Motuum Cælestium ex probatis Tabulis Calculo, dubium non est, quin sint veræ, vt pote de Eclypsibus, Ortu, Culminatione, Occasu & cæteris Sysigijs. Insuper omnes Stellæ tam Fixæ quàm Errantes seu Planetæ mutuantur lucem à Sole, ita tamen vt aliquid ex se lucis habeant, quod vel maximè apparet in Eclypsi Lunæ, in qua tunc fit vera & realis priuatio luminis per incidentiam Lunæ in Vmbram Terræ, orta ex interpositione Terræ inter Solem & Lunâ. quod non fit in Eclypsi Solis, quæ est solùm in Terra priuatio luminis Solaris, propter interpositionem Lunæ inter Aspectum nostrum & Solem. Et sicut Solis Eclypsis accidit in Nouilunijs, ita Lunæ in Plenilunijs sed non in singulis, prout nimirum in vel prope Nodos Eclypticos Luminaria coniuncta vel opposita fuerint.

IV.

DAntur Dies Critici, quibus subita fit Morbi mutatio ad sanitatem aut mortem, causanturq; cùm ab alijs Planetis, tum vel maximè à Motu Lunæ, sumpto

sumpto eiusmodi Crisis initio à loco Lunæ die decubitûs infirmi; quod exactiùs probant Astrologicæ Directiones, Aspectus Reuolutiones, ac posituræ Significatorum in Genesi cuiusuis infirmi. Dantur præterea Anni Climacterici tam Hebdomatici quàm Enneatici, Ætati humanæ, Regnis & Rebus omnibus summè noxij, ex quibus sunt periculosi à Natiuitate cuiusq; Annus 21 & 49. maximè verò periculosissimus 63 ob fundamenta & rationes Astrologis notas.

EX LIBRIS DE GENERATIONE ET CORRVPTIONE.

I.

GEneratio in communi eaq; Creata rectè dicitur esse Mutatio Naturalis de Non esse, ad Esse. Et hæc præcisè sumpta, est Actio realiter distincta ab Alteratione. Subiectum Generationis Substantialis, dictum Transmutationis, est Materia prima, Terminus verò Totalis & Adæquatus illius est Compositum Subsistens. Corruptio Substantialis est Mutatio Naturalis de Esse ad Non esse, Vnde Terminus eius est Suppositum Corruptum; estq; Naturalis respectu Naturæ Vniuersalis, non item Particularis. Distinguitur Formaliter à Generatione quatenus est Mutatio, licet in ratione Actionis identificetur cum ea. Hinc illud commune Axioma: Generatio vnius, est Corruptio alterius. intelligi debet non Formaliter & Identicè, sed Concomitanter. Eadem tamen Accidentia Numero non manent in Genito, quæ erant in Corrupto, sed alia his similia, vel certe eadem Specie.

II.

ALteratio est Motus de vna Qualitate contraria in aliam contrariam, extremam vel mediam successiuè acquisibilem. In hac Intensio Qualitatis fit per maiorem radicationem in Subiecto, seu per additionem Modorum maioris Radicationis. Et præterea In Alteratione Motus Intensionis & Remissionis continuus, etsi Per se primò terminetur ad solas Tertiæ Speciei Qualitates, attamen Primæ Speciei Qualitates possunt etiam terminare Alterationem, sed Secundariò.

III.

AVgmentatio licet proueniat ex Nutritione, Realiter nihilominus differt ab illa. Vtraq; tamen harum est Motus Continuus Successiuè fieri natus. Et propriè quidem ac rigorose sumpta Augmentatio solis competit Viuentibus; quatenus verò distinguitur à Nutritione, non durat toto Vitæ tempore, sed tantùm ad determinatum tempus. Viuens tamen permanet idem Numero toto Vitæ suæ tempore, augmentaturq; secundum omnes suas partes, vt Homo in altum ad Annum 25. ita vt ex suo Quinquennio (in quo dimidium suæ Staturæ obtinere solet) Quantitas proceritatis eius optimè cognoscatur.

IV.

AGens quoduis Physicum communicans in Materia cum suo Passo, existens in potentia ad Formam Passi contrariam & intra Sphæram actiuitatis illius, repatitur ab eo: Vbi tamen virtus Actiua Agentis necessariò debet esse maior, quàm Resistentia Passiua Passi. Mixtio, quæ est miscibilium alteratorum vnio, ex omnibus Elementis Naturaliter est possibilis: eluceatq; vel maximè in liquoribus tam eiusdem, quàm diuersæ Speciei, dummodo habeant Qualitates contrarias & dissimiles.

V.

ELementum est Corpus simplex in quod Mixta resoluuntur, ipsum autem in alia non resoluitur. & sunt 4. Ignis summè calidus & summè siccus. Aer, temparatè calidus & humidus. Aqua, summè humida & remissè frigida. Terra summè frigida & remissè sicca. Vnde ex quolibet Elemento, aliud quodlibet potest immediatè generari. Nobilitas eorum desumitur ex ratione superioris vel inferioris Loci, quem possident, in quo tamen nec grauitant nec leuitant quoad Actum Exercitum considerata. In Mixto manent omnia non Formaliter, sed Virtualiter, Qualitatibus suis attemperatis & ad mediocritatem redactis. Harum Temperamentum in Mixtis æquale ad pondus Naturali-

turaliter non est possibile. Vel maximè exinde, quòd à Proportione Æqualitatis non detur Actio. Ad extremum Res Permanens semel corrupta etsi Naturali Virtute non possit reproduci, bene tamen Virtute Diuina. Res verò Successiuæ nec per Absolutam Dei Potentiam.

EX LIBRIS METEORORVM.

Meteororum Causa Materialis Proxima est Vapor aut Exhalatio. Causa Efficiens Per se, Virtus Solis & Astrorum, Causa verò Per accidens potest esse Antiperisthasis seu Contrarium Obsidens. Loca propria in quibus generantur Meteora, sunt Aer, Aqua & Terra, maximè verò Aër, in Supremam, Mediam & Infimam Regionem subdiuisus, Ignis verò nunquam nec Corpora Cælestia. De numero Meteororum Igneorum, quæ in Suprema Aeris Regione generantur, primum tenent locum Cometæ, præter quos, dari Æthereos, exactior Astronomorum obseruatio adinuenit, maximè verò ex minoritate Parallaxeos dati Cometæ, quàm sit Parallaxis Lunaris.

EX LIBRIS DE ANIMA.

I.

Anima, sicut rectè definitur, quòd sit Actus primus Corporis Physici Organici, potentiâ vitam habentis, ita consimiliter diuiditur in Vegetatiuam, Sensitiuam & Intellectiuàm, quarum sicut Intellectiua continet in se Formaliter Eminenter Sensitiuam & Vegetativam, ita Sensitiva Vegetatiuam, idque secundùm rationes communes, seclusis tamen imperfectionibus. Anima Hominis & aliæ perfectorum Animalium sunt indiuisibiles, secus verò Animalium imperfectorum & Plantarum. In Animalibus tandem perfectioribus, Sanguis naturalis, Cholera, Phlegma & Melancholia, item Caro, Cerebrum, Ossa, Medulla Spinalis, Nerui, Capilli, Vngues, Dentes informantur Animâ Totius Compositi, non tamen Lac & Semen.

II.

Animæ in communi sumptæ, Potentiæ sunt 5. .f. Vegetatiua, Sensitiua, Appetitiua, Loco Motiua & Intellectiua, illæque tum ab Anima, tum inter se Realiter distinguuntur. Ex his Inorganicæ vt Intellectiua & Appetitiua subiectantur in Anima; reliquæ verò tres Organicæ in Toto Composito. Omnes tamen in vniuersum Potentiæ specificantur ab Actibus & Obiectis Formalibus, ab Actibus quidem immediatè sicut & Habitus, ab Obiectis autem, mediantibus Actibus.

III.

Vegetatiuæ Animæ Potentiæ sunt tres, Nutritiua. Augmentatiua & Generatiua, illæque tum inter se, tum à Calore Naturali distinguuntur Realiter. Animæ verò Sensitiuæ, Potentiæ Externæ sunt 5. 1. Visiua, cuius Obiectum est Coloratum quatenus illuminatum. Organum, Pupilla simul cum Neruis Opticis. Medium, Aer vel Aqua, vel aliud diaphanum. 2. Potentia est Auditiua, cuius Obiectum est Sonus. Organum Aer adnatus intra tympanum conclusus, tum quoque Nerui auditorij à Cerebro ad Aures descendentes. Medium, Aer externus propulsans Aerem adnatum tympano inclusum. 3. est Olfactiua, cuius Obiectum est Odor. Organum duæ Caruncula spongiosæ Neruis coniunctæ. Medium Aer & Aqua. 4. Gustatiua, cuius Obiectum est Sapor. Medium Nerui molliores per linguæ spongiosam maximè uerò extremam partem sparsi & ad palatum vsque protensi. Medium est Calor linguæ. 5. demum est Tactiua, cuius Obiectum sunt Qualitates tangibiles tam primæ, quam secundæ. Organum, Neruus tacticus in modum retis per totum Corpus diffusus, qui in pulpis digitorum maximè viget. Medium eius est Caro. IV.

Ex ennmeratis hactenus quinque Potentijs, vnaquæque respectu operationis seu cognitionis sui Obiecti, quanquam sit Actiua, respectu tamen

Obiecti

Obiecti quod recipit; est purè Passiua, vt constat in Potentia Visiua, cujus sensatio fit per Intus susceptionem Specierum Intentionalium, non verò per Extra missionem Radiorum. Porrò Obiectum yniuscuiusque debet esse Singulare, localiter præsens, extensum, & in debita distantia. Et licet Potentiæ Sensuum Exteriorum circa Proprium Sensibile Per se non errent, bene tamen Per accidens; iamuerò circa Sensibile Commune vtroque modo errare possunt, Excellens tandem Sensibile, vt est Agens Naturale, lædit Sensum, non tamen vt est Intentionale, nisi forte Per accidens.

V.

SEnsus Interni communiter assignantur 4, videlicet Sensus Communis, qui est Potentia perceptiva & iudicatiua Sensibilium externorum. Imaginatiua seu Phantasia, quæ est perceptiua Obiectorum Sensibilium, in absentia eorum. Æstimatiua, quæ est apprehensiua insensatorum in præsentia Obiecti. v. g. Amicitiæ vel Inimicitiæ Et Memorativa,quæ est potentia conseruatiua Specierum Insensatarum per Æstimatiuam à Sensatis abstractarum.

VI.

ANima Rationalis est purè spiritualis, obindeque incorruptibilis & immortalis, tunc à Deo creatur, quando in Corpus dispositum infunditur, estque Subsistens & Existens Per se, consequenter siue sit in Corpore, siue extra illud, habet Esse independens à Corpore, licet Actu communicet se eidem. Vna potest esse indiuidualiter perfectior alterâ. Potentiæ famosæ eius sunt duæ, Intellectus& Voluntas, omninò inter se Realiter distinctæ.

VII.

INtellectûs nostri Adæquatum Obiectum Terminatiuum & Extensionis est Ens Verum latissimè sumptum. Motiuum autem & Intensionis, pro hoc statu est sola Quidditas Rei Materialis quatenus abstracta à Conditionibus Materialibus & singularibus: in statu verò separationis sunt Quidditates Rerum Spiritualium earum quæ sunt incompletæ, & habent eundem Gradum immaterialitatis. Et cùm Sensus sit Singularium, sicut Intellectus Vniuersalium, Species proinde Intelligibilis pro hoc statu non potest directè & Formaliter repræsentare Singulare Materiale.

VIII.

INtellectio nostra, quæ est quædam Actio Metaphysica, etsi pro hoc statu dependet Naturaliter à Phantasmate, & fit per conuersionem ad illud, Species Intelligibiles ab eo desumendo; non tamen in statu Separationis, in quo Intellectus accipit Species à Deo sibi infusas. Est autem Intellectio, Qualitas distincta à Verbo Mentis, non tamen à Dictione, quæ est ipsum Intelligere cum quodam modo: Omnis quippe Intellectio est Dictio, exceptâ Visione beatificâ.

IX.

APpetitus Elicitus seu Animalis, qui præsupponit cognitionem & sequitur illam, rectè diuiditur in Intellectiuum cuius, Obiectum est Vniuersale sub ratione Boni. Et Sensitiuum, cuius Obiectum est Partiale. Sensitiuus deinde subdiuiditur in Concupiscibilem, qui tendit in Bonum Delectabile secundum Sensum, vt illud consequatur & illo fruatur. Et Irascibilem, qui pro Obiecto habet Bonum Arduum, propulsando Malum ad conseruationem & defensionem Animalis.

X.

VOluntas nostra est libera, quæ licet omnia Bona liberè appetat, solam tamen Beatitudinem seu Bonum in communi, necessariò vult Necessitate Specificationis aliàs Contrarietatis; licet nullo modo necessitetur circa Beatitudinem in particulari hic in Via, in Patria verò omnino necessitatur etiam Necessitate quoad Exercitium seu Contradictionis. His tamen stantibus, Intellectus (vt pote primaria Animæ Potentia) secundum se & secundum Esse Physicum, est Simpliciter perfectior, quàm Voluntas.

CONCLVSIONES METAPHYSICÆ.

I.

METaphyſica eſt verè & propriè Sapientia, quæ Speculatur Ens Reale vt ſic, ſecundùm rationes ab omni Materia ſeu Corporeitate abſtractas, Deo & Creaturis Tranſcendentaliter communes. Vndè licet ratione Principiorum ſubalternet ſibi alias Scientias, non tamen conſiderat Eſſentias Rerum quoad propria Prædicata Scientiarum.

II.

RAtio Entis quòniam tranſcendit Formaliter omnes & ſingulas Rerum Differentias, ideo reſpectu Entis Realis & Rationis, Dei & Creaturæ, Subſtantiæ & Accidentis, eſt Analoga. Vnde hoc ipſum Ens non habet Conceptum aliquem Vniuocum ſimpliciter & perfectè præciſum à ſuis Inferioribus, tàm Obiectiuum quàm Formalem.

III.

ENs habet Veras, eaſque Reales Paſſiones tres, .ſ. Vnum, Verum, Bonum, ſola Ratione à ſe diſtinctas; quæ quidem pro Materiali dicunt ipſum Ens, pro Formali autem Modos quoſdam, qui non exprimuntur nomine ipſius Entis. Et ſic Vnum (præter Entitatem quam principaliùs dicit, & eſt quid Poſitivum) addit ſupra Ens Negationem Diuiſionis. Verum addit Conformitatem ſeu Conuenientiam, quam habet Res cum Intellectu verè illam concipiente primariò quidem cùm Intellectu Diuino, ſecundariò autem cum Intellectu Humano. Bonum denique addit Conuenientiam cum Appetitu, alias Perfectionem Rei Radicaliter appetibilis à Voluntate.

IV.

SUbſtantiæ Materiales indiuiduantur à Materia ſignata Quantitate. Immateriales verò Subſtantiæ Completæ, ſeipſis. & Incompletæ, per ordinem ad Corpus. Accidentia tandem à proprijs indiuiduantur Subiectis. Vnde in Subſtantijs, Materialib⁹ Completis, Differentia Indiuidualis dicit aliquid Reale ſupra Differentiam Specificam, illud tamen ſolà Ratione ratiocinata diſtinctum. Jn Immaterialibus verò Completis eadem Differentia Indiuidualis, nihil addit Reale ſupra, quod ſit diſtinctum Re aut Ratione.

V.

ESſentia & Exiſtentia licet in Deo identificentur Realiter, in Creatis tamen diſtinguuntur Realiter, Modaliter. Vnde ſicut Eſſentiæ Rerum non ſunt ab æterno aliquid Reale, Actuale & Poſitivum extra Deum, ita Exiſtentiæ ſolùs Deus eſt Cauſa Principalis productiua, Cauſæ verò Secundæ, ſunt Cauſæ Inſtrumentales; eſtque hæc ipſa in vnò Compoſitò Phyſico ſimplex & vnica ſimpliciter, per quam exiſtunt omnes Partes. Porrò non ſolum Subſtantiæ ſed & Accidentis (de cuius Ratione Formali eſt Inhærentia Aptitudinalis) Eſſentia etiam diſtinguitur ab Exiſtentia ſeu Actuali illius Inhærentia, ſine qua tametſi Accidentia Phyſicè & ſecundùm Eſſe Reale intelligi nequeant, bene tamen Mathematicè & ſecundùm Eſſe Rationis.

VI.

SUbſiſtentia & Perſonalitas in Creaturis Rationalibus, eſt aliquid Reale Poſitivum Naturæ ſuperadditum, & Realiter Modaliter ab ea diſtinctum: illa quippe reddit Naturam Subſiſtentem & Incommunicabilem alteri vt Suppoſito, hæc verò Naturæ Intellectualis reddit indiuiduam & incommunicabilem Subſtantiam. Porro Subſiſtentia cùm emanet ab Eſſentia, priùs Naturâ terminat Eſſentiam ſeu Naturam, poſteriùs verò Exiſtentiam, eſtq; in Compoſito Phyſico vna totalis, per quam primò exiſtit Totum, ſecundariò verò Partes. Vnde licet Eſſentia ſit perfecta in ſuo Eſſe Specifico, tamen Subſiſtentia eſt perfectiòr illà, Exiſtentia verò perfectiſſima.

VII.

INtelligentiæ non tantùm ſecundùm Sacram Scripturam & Fidem, ſed etiam ſecundùm Ariſtotelem dantur, ſuntque Formæ Simplices reſpectu

Compo-

Compositionis Physicæ, sed non respectu Metaphysicæ. Creatæ à Deo in Cælo Empyræo ab ipso Mundi exordio. Incorruptibiles ab intrinseco, per Voluntatem tamen Creatoris sui annihilari possunt. Quarum numerus licet excedat numerum Specierum Materialium, est tamen certus & determinatus. Operationes illarum fiunt per Intellectum & Voluntatem, intelligunt Intuitiuè per Species intelligibiles sibi à Deo concreatas, in quibus clarissimè cognóscunt Res Naturales, loquuntur autem ad inuicem per directionem liberam suorum Conceptuum, & licet formata à se assumant Corpora, in illis tamen Vitaliter non operautnr.

VIII.

INtelligentia Prima & Suprema, Deus .s. Gloriosus est Causa Efficiens Creaturarum per Creationem, quæ ipsi soli competit ita, vt etiam Creatura non possit assumi vt Instrumentum Physicum ad creandum. Ab eo Res omnes dependent in Fieri, in Facto Esse, & in Conseruari, cùmque sit liber, sicut eas liberè conseruat, ita per liberam sui Concursûs subtractionem easdem annihilare potest. Cui tanquam omnium donorum Largitori munificentissimo, in Cultum Latriæ; Beatissimæ Virgini MARIÆ labis Originalis immuni, Cultum Hyperduliæ. Divis Cælitibus, & præsertim Diuo IOANNI CANTIO Patriarchæ nostro in Votivam Duliæ Venerationem labor hic cedat.



Sub Felicissimis Auspicijs

Magnifici, Perillustris, & Admodùm Rndi Domini,

D. M. CHRISTOPHORI

SOWINSKI,

S. Th. Doctoris & Professoris, Collegæ Maioris, Ecclesiarum Collegiatarum ad S. FLORIANVM Decani, Custodis Pilecensis, Cancellarij Posnaniensis, Curati Prosouicensis, Collegij Vladislaviani & Contubernij Philosophorum Prouisoris, Studij Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Generalis ac Vigilantissimi RECTORIS.